

„lib. spec. p. 2. sect. 5., quia nullibi legitur, quod Deus obligaverit se ad acceptandas semper indulgentias has pro casu et subjecto particulari. „2. Pontifices concedentes indulgentiam pro defunctis, quae concessio coepit saeculo XV., supponunt in Deo gratuitam acceptationem solutionis. „Sixtus IV. anno 1477. ait: *Indulgentia defunctis prodesse modo, quo piae elemosyna et orationes iis proficiunt.* Gregorius XIII. affirmit: *Anima bus de thesauro Ecclesiae subministramus, ut illae, quantum divinae bonitati placuerit, adjutae ad coelestem patriam perveniant.* 3. Argumentum calculatorium ex *Viva* prop. 37. *Alex. VII.* Si essent infallibles, „purgatorium jam foret saepe evacuatum; nam juxta Ricciolum pro cursu „50. annorum dantur mille millions hominum in Orbe; tertia ex iis pars „sunt infantes ante rationis usum decedentes; maxima reliquorum pars „damnatur, exigua immediate ad coelum transit, ultima trium circiter „millionum cum dimidio ad purgatorium descendit: ergo cum multitudine „altariorum privilegiatorum, communionum generalium, indulgentiarum in „Religionibus, Confraternitatibus, templis expositarum hos purgatorio eriperet, plures intra triennium liberarentur, quam a mundi exordio ibi extitissent. *Affirmativam* tamen pro infallibilitate defendant *Sotus, Navarrus, Suarez, Lugo, Gobat* p. 2. n. 484. etc. Quae autem conditions „ad hoc requirantur, non convenient.

„Q. 4. An probabilitas locum habeat in indulgentiis?

„R. Cum tria in indulgentiis reperiuntur: 1. concessio, 2. opera praescripta, 3. fructus et favores illarum, e. g. quod plenaria etiam proposit illi, „qui retinet affectum erga aliquod peccatum veniale, quamvis tantum limite: quod indulgentia sit habenda pro plenaria, in qua dicitur indefinite „concedimus indulgentiam peccatorum: quod etiam post jubilaeum possint „commutari vota, absolviri reservata etc. quorum in jubilaeo per oblivionem aut dilationem nondum facta commutatio, absolutio nondum data: „quod impediti possint illud postea lucrari etc. dico: *Probabilitas non pro cedit in concessione, aut conditionibus praevei requisitis, sed solum in fructibus indulgentiae.* Ita contra *Viva* admittentem ubique probabilitatem, et contra *Bonacinam* ubique negantem. *Rat.* 1. sic salvatur illud: „favores sunt ampliandi; et simul: *indulgentiae valent, quantum sonant,* „hoc est, quantum verba concessionis clare indicant; de dubiis effectibus „dixit Urbanus VIII., suam et Sedis Apostolicae mentem hanc esse, ut indulgentiae valeant eo modo, quo prudentes Theologi existimant valere: ut „habet Gobat. 2. Concessio cum requisitis conditionibus dependet unice „a voluntate concedentis, confertque indulgentia remissionem poenae quodammodo ex opere operato: ergo sicut valor sacramentorum non admittit „probabilitatem etc."

647. *Principium II.* Ut quis sibi lucretur indulgentias, requiritur 1. Ut sit baptizatus, et post baptismum actualiter peccaverit; quia soli baptizati sunt membra Ecclesiae: ait tamen *Laym.* l. c. c. 6. cum *Henriq.* probabile esse, quod indulgentiae applicari possint catechumenis tum vivis tum defunctis saltem per modum suffragii, cum saltem per fidem et charitatem Christo sint uniti: ergo saltem aliquo modo sunt membra Ecclesiae. 2. Ut sit subditus concedentis, nec excommunicatus. 3. Ut sit in statu gratiae saltem tunc, quando ultimum opus praescriptum impletur; quia non dimittitur poena nisi post dimissam culpam. 4. Ut opus a concedente indulgentias injunctum eo tempore, quo praescribitur, impleat; sub hac enim conditione conceduntur indulgentiae. Plura vide apud *P. Gobat* l. c. c. 12. Addit *Amort* l. c. q. 31., quod etiam requiratur intentio lucrandi indulgentiam saltem virtualis, qualis esset, si homo eo die perget ad Ec-

clesiam animo confitendi, quia scit ibi haberit indulgentiam. Praeterea exigit, ut fiat explica oblatio orationis vel alterius boni operis ad fines in Bulla expressos, v. g. pro exaltatione S. M. Ecclesiae, concordia Principum Catholicorum etc. *Laym.* l. c. c. 6. n. 5. asserit, non requiri actualem, sed sufficere habitualem intentionem. Alii cum *Viva* dicunt contra *Navar.* et *Cajet.*, intentionem lucrandi indulgentiam gratis requiri, cum id Pontifices non requirant; prior sententia pro praxi est tutior, hinc multi solent quotidie mane facere intentionem expressam lucrandi per opera istius diei, quidquid possunt lucrari. Dux supra, *ut quis sibi lucretur indulgentias:* nam ad eas defunctis lucrandas per exhibitionem operis praescripti necesse non est, ut operans sit in gratia, dum indulgentia effectum consequitur, eo quod gratia requiratur ex parte recipientis indulgentiam; ita *Laym.* l. c. C. 7. ubi subnecit, certum esse, quod indulgentiae, quas Papa concessit fidelibus vivis, non possint applicari defunctis, nisi hoc ipsum etiam Papa concederet; standum enim auctoritate et voluntate concedentis. Eodem modo frustra alteri vivo applicatur vel donatur indulgentia, si Pontifex non dederit potestatem ita applicandi; imo teste *Gobat* in *Quin.* c. 21. n. 249. rare haec potestas conceditur.

648. *Princip. III.* Indulgentiae cessant 1. Elapso tempore in Bulla concessionis expresso. 2. Si locus vel res destruatur, cui sunt annexae. 3. Cessante totaliter fine concessionis 4. Per revocationem.

§. III. Resolvuntur Casus.

CASUS I.

Menochius lucrandarum indulgentiarum per quam studiosus sollicite querit, an non dentur indulgentiae quedam communiores omnibus fidelibus concessae. Idem, dum eodem subinde festo in pluribus Ecclesiis diversae indulgentiae promulgantur, in iis ad lucrandas indulgentias sollicite comparet, animo illas omnes consequendi eodem die.

649. Q. I. Quaenam indulgentiae communiores adhuc valeant? R. Inter eas hodie sunt *primo* illae, quae orantibus ad pulsum campanae feria sexta a *Bened.* XIV. 23. Decemb. 1740. concessae sunt sequenti tenore: *Ad Passionis, et Agoniae Redemptoris et D. N. J. C., unde nobis vita, salus et resurrectio manavit, memoriam in omnium Christi fidelium animis excitandam, atque fovendam coelestibus Ecclesiae thesauris, quorum dispensationem Nobis creditit Altissimus, omnibus et singulis Christi fidelibus, qui singulis feriis sextis totius anni, hora tertia post meridiem, ad sonum campanae Ecclesiarum Metropolitanarum, Cathedralium et Parochialium (quarum Parochis, Rectoribus, aliisque quocumque nomine appellatis Superioribus, ut campanam uniuscujusque Ecclesiae hujusmodi pulsari faciant, injungimus, et in virtute sanctae obedientiae mandamus) flexis genibus quinques orationem Dominicam, et toties salutationem Angelicam devote recitaverint, et oraverint, ac pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione, nec non salutari perditorum hominum emendatione piis ad Deum preces effuderint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituras.* Vide T. 1. Bullarii ejusd. Pontificis pag. 27.

650. Secundo. *Benedictus XIII.* 14. Septemb. 1724. concessit sequentes: *Omnibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui mane, aut meridie, sive vespere ad pulsum campanae: Angelus Domini, nuntiavit Mariae, et concepit de Spiritu Sancto: Ecce Ancilla Do-*

mini, fiat mihi secundum verbum tuum: Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis, *cum tribus Ave Maria flexis genibus devote recitaverint, et pro Concord. princip. christian., extirp. haeres. et s. Matr. Eccles. exalt. pias ad Deum preces effuderint, plenariam in uno die mensis dumtaxat, per unumquemque fidelem ad sui libitum eligendo, lucrificiendam indulgentiam concedimus. In reliquis vero anni diebus iisdem Christi fidelibus vere contritis, quoties id egerint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitibus poenitentiis relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valiturus.* Exorto postea dubio, an tempore paschali hae preces flexis genibus, an vero stando dicenda sint, *Bened. XIV.* confirmatis praedictis *Bened. XIII.* indulgentiis, praescripto rubricarum inhaerens, jussit orationem illam a vesperis cuiuslibet sabbati usque ad totam Dominicam sequentem a stantibus recitari; ac insuper durante tempore paschali, quod in primis vesperis Dominicæ Ss. Trinitatis terminatur, loco supra memoratae orationis antiphonam *Regina Coeli* etc. cum versiculo et oratione correspondente, *Deus qui per resurrectionem etc. a stantibus dicendam substitui: iisdem eam devote recitantibus indulgentiis concessis, ita tamen, ut ii, qui eam antiphonam memoriter dicere nesciverint, easdem indulgentias acquirant supradictam orationem, Angelus Domini, recitantes.* Ita *Amort l. c. q. 25.* ex Notificatione *Card. Guadagni* Vicarii Gen. Romæ publicata die 20. April. 1742.

651. *Tertio*, hoc referunt concessae a *Clemente XII.* 14. Aug. 1736. sequenti tenore: *Omnibus, qui sub horam noctis ad pulsum campanae psalmum De profundis, vel semel orationem Dominicam, et salutationem Angelicam, cum versiculo Requiem aeternam etc. in suffragium animarum fidelium defunctorum flexis genibus devote recitarerint; quo die id egerint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitibus poenitentiis relaxamus. Insuper eisdem fidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui per annum praemissa peregerint, ac pro C. P. C., H. E., S. M. E. E. pias ad Deum preces effuderint, plenariam in uno die cuiuslibet anni dumtaxat per unumquemque fidelem ad sui libitum eligendo, lucrificiendam indulgentiam concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valiturus.*

Quarto: Huc pertinent indulgentiae numismatum vel rosariorum etc. benedictorum a Papa, quae in notificatione Romæ edita sub *Benedicto XIII.* (cujus formulam imprimi extra Urbem prohibuit sua Sanctitas). Praecipua autem indulgentia ibi expressa, praeter alias partiales, est plenaria in festis Nativitatis D. N. J. C., Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Ss. Trinitatis, et Corporis Christi, et die Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, et Nativitatis B. V., et in Nativitate S. Joan. Bapt., et in festis Ss. Petri et Pauli, et reliquorum Apostolorum, et in articulo mortis. Ad has tamen indulgentias lucrandas requiritur, ut quis ejusmodi coronas, et numismata secum habeat; dein ut quis saltem semel in hebdomada coronam Domini, aut rosarium, ejusque tertiam partem, aut officium vel divinum, vel parvum B. Virginis, vel defunctorum, vel septem psalmos poenitentiales, vel psalmos graduales recitare, aut rudimenta fidei tradere, aut detentos in carcere, vel alicujus domus hospitalis aegrotos visitare, aut pauperibus subvenire, aut Missam vel audire, vel si est Sacerdos, celebrare consueverit, et ut vere poenitens, et confessus Eucharistiae Sacramentum acceperit. Additur praeterea conditio, ut ejusmodi corona, crucis, rosaria, numismata, et sacrae imagines non transcant personam illorum, quibus a sua Sanctitate concessae sunt, aut quibus ab his prima vice distribuuntur, neque commodari, aut precario dari possint;

alioquin careant indulgentiis concessis: et aliqua re ex praedictis deperdita pro ea subrogari alia nullo modo possit.

Praeterea hoc reducuntur indulgentiae concessae se invicem salutantibus hac formula: *Laudetur Jesus Christus, quae continentur in Bulla Sixti V. et in Notificatione Bened. XIII.* quae incipit: *Alias sanct. mem. Sixti V.* Conceduntur autem his, qui salutaverint alios per formulam: *Laudetur Jesus Christus, suo vulgari sermoné, et his qui responderint: In saecula, vel amen aut semper, indulgentiae quinquaginta dierum: iis qui sanctissimum nomen Jesu aut Mariae devote invocaverint, indulg. 25. dierum; iis vero, qui praefata agere consueverint, si in articulo mortis constituti, et ore, vel si non potuerint, saltem corde sanctissimum nomen Jesu et Mariae invocaverint, insuper plenaria indulgentia adjicitur. Eadem indulgentiae tribuantur praedicatoribus, caeterisque omnibus, qui hanc salutationis formam usui esse curaverint. Item concessae bis centum dierum indulgentiae recitantibus Litanias B. V. Mariae confirmantur in notificatione *Bened. XIII.* Advertit *Amort* L. saepe cit. q. 47., in praefata confirmatione allegari, quod *Sixtus V.* salutantibus et respondentibus concesserit indulgentiam 100. dierum, hoc ita intelligendum, ut quinquaginta dies tribuantur salutanti, et reliqui 50. respondenti; si enim haec confirmatio non sic explicaretur, allegaret falsum, cum in Bulla *Sixti V.* salutanti tantum tribuantur 50 dies.*

Denique commendanda sunt indulgentiae plenariae, quae primo *Bened. XIII.* iis concesserat, qui die festo S. Aloysii altare ipsius visitarent: has *Clemens XII.* ad quodvis aliud altare extendit, in quo ejusdem Sancti festum celebrari contigerit. Idem *Clemens XII.* postea Brevi Apostolico 7. Januarii 1740. ad favendam erga eundem *Sanctum miram ob tot gratias tum spirituales, tum temporales, populorum devotionem indulgentias plenarias singulis sex dominicis diebus lucrandas iis concessit, qui sex dominicos dies vere poenitentes, sacraque communione refecti piis meditationibus aut orationibus ad ejusdem Sancti honorem ac Dei gloriam vacando sanctificaverint.*

652. Huc quoque pertinent indulgentiae perpetuae a *Benedicto XIV.* anno 1746. 16. Decembris per Bullam: *Quemadmodum nihil est (quae in Tomo 2. ejusd. Bullar. est vigesima tertia) concessae tam docentibus, et addiscentibus methodum orationis mentalis, quam peragentibus ipsam orationem mentalem: ubi ita: Primum itaque omnibus et singulis, sive qui tam in Ecclesiis, quam alibi, et ubicunque locorum publice et private quoscumque homines orandi seu meditandi rudes quomodocumque orare et meditari docuerint, sive qui piae orandi et meditandi institutioni hujusmodi, ut praemittitur, interfuerint, dummodo vere poenitentes, ac S. Communione refecti, qua vice id egerint, septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitibus poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.*

Iis vero tam docentibus, quam addiscentibus, qui assidue praemissa peregerint, ac similiter vere poenitentes, ac S. Communione refecti, pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, semel in mense, pro uniuscujusque commode et arbitrio, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam per modum suffragii animabus Christi fidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, applicare possint, misericorditer in Domino concedimus.

Insuper iis, qui per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horae singulis diebus, orationi mentali dabunt operam et vere poe-

nitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, ac pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, et S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces pariter effuderint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem, quam itidem per modum suffragii animabus Christi fidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, applicare possint, auctoritate et tenore similibus misericorditer in Domino elargimur.

Idem *Bened. XIV.* per Breve Apostol. *Pia Mater* (in Tom. 2. cit. Bullarii pag. 282.) ampliavit Episcopis facultatem impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus in mortis articulo constitutis, etiam per alios tam in civitatibus, quam in dioecesibus ab ipsis subdelegatos, quod indultum non exspirat morte Pontificis, nec cessat subdelegatio percessum aut decessum subdelegantis. Modus impertiendi benedictionem in articulo mortis servandus ab his, qui facultatem habent a Sede Apostolica delegatam, ibidem ita praescribitur:

Benedictio in articulo mortis cum soleat impertiri post Sacraenta Poenitentiae, Eucharistiae, et Extremae Unctionis illis infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente et integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis, impertienda iisdem est, etiamsi postea linguae caeterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium vel amentiam inciderint: excommunicatis vero, impenitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda.

Habens praedictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi jacet infirmus, dicat: Pax huic domui etc. ac deinde aegrotum, cubiculum, et circumstantes asperget aqua benedicta, dicendo antiphonam: Asperges etc.

Quod si aegrotus voluerit confiteri, audiat illum et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis: de hujus benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat: tum instruat atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat, Deoque paratum sese offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens, fore ut ex divinae munificentiae largitate eam poenarum remissionem, et vitam sit consecuturus aeternam. Postea dicat:

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit coelum et terram.

Antiph. Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui (vel ancillae tuae) neque vindictam sumas de peccatis ejus. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

V. Et ne nos inducas in temptationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Salvum fac servum tuum (vel ancillam tuam, et sic deinceps).

R. Deus meus sperantem in te.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N., quem tibi vera fides, et spes christiana commendant. Visita eum in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem, et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem et veniam clementer indulge, ut ejus anima

in hora exitus sui te Judicem propitiatum inveniat, et in Sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Tum dicto ab uno ex Clericis adstantibus Confiteor etc. Sacerdos dicat: Misereatur etc. Deinde:

Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in baptismo recepisti, et ego, facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris etc.

Per sacrosanta humanae reparationis mysteria remittat tibi omnipotens Deus omnes praesentis, et futurae vitae poenas, Paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedic te omnipotens Deus, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis facienda, neque praemissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos benedictionem ei impertiatur.

653. Q. II. An dentur indulgentiae apocryphae? R. Plurimae circumferuntur, quas recenset decretum S. Congreg. ab anno 1678. quod incipit: *Delatae saepius.* Quae autem ab Innoc. XI. declaratur apocrypha, est solum Clementi X. adscripta recitantibus mane, vel vespere, aut meridie *Angelus Domini* cum *Deo gratias et Mariae*, ibique signanter additur: *Nisi fuerint deinde Romani Pontificis auctoritate renovatae aut confirmatae; adeoque superius relatae indulgentiae de trina salutatione angelica propterea non debent censeri apocryphae.* Vide *La Croix L. 6. p. 2. n. 1370.*

654. Q. III. An indulgentiae olim Regularibus concessae, et revocatae a *Paulo V.* hodie sint revalidatae? R. Non sunt revalidatae, ut constat ex damnata 37. propos. ab *Alex. VII.* Loco revocatarum dedit *Paulus V.* omnibus Regularibus 1. Plenariam, qui causa profitendi *Regularem habitum suscepint*, die ingressus eorum in Religionem, si vere poenitentes, confessi, ac sacra communione refecti fuerint. 2. Plenariam *in die professionis v. p. c. et c. r. f. 3.* Cuivis Religioso plenariam *in festo principali sui ordinis*, si c. et S. C. r. 4. Plenariam *in articulo mortis*, si v. p. c. et S. C. r. aut saltem contritus nomen *Jesu*, ore, si potuerit, sin autem corde devote invocaverit. 5. Plenariam iis, qui ad Presbyteratus ordinem canonice promoti, et confessi primam Missam celebribunt; nec non etiam iis Religiosis, qui pariter confessi, ac sacra communione refecti eidem Missae interfuerint, aut ipso die Missam similiter celebribunt. 6. Plenariam facientibus exercitia spiritualia per dies 10., quos reduxit etiam ad 8. dies *Alex. VII.* Plura vide in Bulla *Pauli V.* quae incip. *Romanus Pontifex.* Item in Append. ad Tract. de Jubil. apud *Viva.*

655. Q. IV. Quaenam indulgentiae confraternitatum, aut sodalitatum adhuc valeant? R. Omnes hic recensere non patiuntur angustiae hujus operis. Anno 1748. per Bullam: *Praeclaris Romanorum pontificum, Bened. XIV.* congregationibus sive sodalitiis adolescentium in Collegiis Societatis Jesu ad ipsius Primaee primariae congregationis Romanae instar erectis vel erigendis concessas gratias, indulgentias, remissiones, et relaxations confirmavit, et de novo ita extendit et ampliavit, ut sodales plenarias indulgentias (quas etiam animabus Christi fidelium, quae Deo in charitate conjunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicare possint) lucentur 1. quo die in sodalitatem quispiam recipitur. 2. In mortis articulo. 3. Semel in hebdomada in iis diebus, in quibus juxta statuta et regulas

sodalium conventus haberi solent, et vere poenitentes, ac confessi, et sacra communione refecti Ecclesiam, seu locum uniuscujusque congregationis, visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, et S. M. Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint.

Septem vero annorum, et totidem quadragenarum indulgentias, 1. concessit iis sodalibus praedictarum congregationum, qui corpora sodalium, vel aliorum Christi fidelium ad Ecclesiasticam sepulturam prosecuti fuerint: infirmi et impediti easdem lucrari possunt, qui auditio signo companae genuflexi, si per infirmitatem licebit, orationem Dominicam, et salutationem Angelicam pro salute animae defuncti recitaverint; 2. qui sacrosanctae Missae sacrificio diebus feriatis interfuerint; 3. qui conscientiam suam diligenter examinaverint vesperi, antequam cubitum eant; 4. qui pauperes infirmos; 5. aut in carcere detentos visitaverint; 6. qui pacem inter inimicos conciliaverint: ibid. additur: *Quas etiam omnes indulgentias consequi poterunt iidem adolescentes sive sodales ubivis locorum commorantes, si apud Ecclesiam eorumdem locorum, aut alibi, ut poterunt, opera praestabunt, quae sunt servanda ad indulgentias hujusmodi consequendas.* 7. Iudem sodales lucrari possunt indulgentias stationum almae Urbis, si diebus quadragesimae, et aliis anni temporibus ac diebus stationum hujusmodi Ecclesiam Societatis Jesu, si ibi fuerit, alioquin aliam Ecclesiam, seu Cappellam in locis, ubi eos pro tempore esse contigerit, devote visitaverint, et ibi septies orationem Dominicam, et septies Angelicam salutationem recitaverint. Denique in solatium sodalium, qui pie in Domino obierunt, concessit, ut quocumque Sacerdos aliquis saecularis, vel cuiusvis Ordinis, Congregationis, Instituti Regularis sacrosanctum Missae sacrificium, sive ad altare cuiusvis Congregationis, et sodalitatis hujusmodi, sive sodales ipsi Sacerdotes pro suis sodalibus ad quodlibet altare celebraverint, sacrificium hujusmodi perinde ipsis suffragetur, ac si ad altare privilegiatum fuisset celebratum.

„*Indulgencia Portiunculae* potest in ipsa aede Portiunculae obtineri „sine communione, et toties, quoties quis illuc per dietam fuerit peregrinus“ etiam eodem anno: communicata tamen templis alii ordinis s. Francisci requirit illo die sacram communionem, non tamen habet annum potestatem dispensandi, commutandi, absolvendi peculiarem.“

656. Q. V. An quis eodem die uno eodemque opere possit lucrari plures indulgentias? R. 1. Si diversae indulgentiae, v. g. diversarum confraternitatum, vel affixarum diversis Ecclesiis etc. ex diversis titulis concessae fuerint ad eundem diem, et opus praescriptum eodem die repeti non possit, vel non soleat, potest quis eodem die plures indulgentias iisdem operibus lucrari; ejusmodi opera initerabilia sunt, jejunium, communio etc. Laymann l. c. 6. cum Corduba et Conincck. R. 2. Si vero concurrent indulgentiae ex eodem titulo, v. g. si quis habeat duo numismata, quorum singulis indulgentia unius anni concessa est cum onere operum iterabilium, censendum est, non posse obtineri plures indulgentias simul eodem tempore, nisi iterentur opera; quia haec censetur esse mens concedentis hoc ipso, quod annexat opera iterabilia. Amort l. c. q. 36. Huc pertinet decretum Congr. Indul. ab Innoc. XI. approbatum et promulgatum 7. Mart. 1678. ubi dicitur, *semel dumtaxat in die plenarium indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud opus pium peragentibus lucrifieri.*

657. Q. VI. An quis ad lucrandas indulgentias possit perficere per aliud opus injunctum? R. Si alius, qui jussu tuo perficit opus, sit causa propria operis v. g. si jubeas famulum orare, jejunare, vel alia opera personalia exercere, non lucraberis indulgentias, quia hoc casu tu non diceris orare, jejunare, sicut praecipit concedens indulgentias. Secus si alius non

sit causa propria, sed tantum quasi instrumentum, v. g. si tu des elemosynam famulo, ut is porrigit pauperi. *Suar. hic disp. 52. sect. 7.* Quoties enim opus simpliciter injungitur, necesse est, ut personaliter impleatur ab eo, qui lucraturus est indulgentias; secus si tenor Bullae injungat opus sub disjunctione, scil. *per se vel per alium explendum.*

658. Q. VII. Si indulgentia concedatur contritis et confessis, an ad eam lucrandas necessaria sit confessio actualis, an vero sufficiat contritio? R. Juxta Decretum datum Romae die 19. Maii 1759. et approbatum a Clemente XIII. requiritur confessio, contra responsionem a nobis datam in editione prima, secunda, et tertia. Verba Decreti sunt: *Ut Christifideles scire possint, quid sibi tenendum foret pro acquirendis indulgentiis in sententiis varietate super intelligentia verborum: qui vere poenitentes, confessi, ac sacra communione refecti Ecclesiam visitaverint; quae in indulgentiarum Brevis inseri solent, in Sacra Congregatione Indulgentiis, sacrisque Reliquis praeposita, discussis die 13. Martii proximi praeteriti nonnullis dubiis, eadem Sacra Congregatio fuit in voto confessionem sacramentalem, quando in Brevis apponitur pro indulgentiarum consecutione, peragi omnino debere etiam ab iis, qui sibi lethalis peccati consci non sunt; nec non praefatam confessionem suffragari etiam posse, si expletatur in vigilia Festivitatis. Quod autem ad Ecclesiae visitationem spectat, eam impleri posse, sive ante, sive post aliorum piorum operum impletionem.*

Hoc autem decretum idem Pontifex postea limitans concessit omnibus Christi fidelibus, qui in frequenti peccatorum confessione animam studentes expiare, semel saltem in hebdomade ad sacramentum poenitentiae accedere, nisi legitime impedianter, consueverunt et nullius lethalis culpe a se post peractam ultimam confessionem commissae sibi consci sunt, ut omnes et quascunque indulgentias consequi possint, etiam sine actuali confessione, quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria esset. (Ex Secret. Congreg. Indulg. de die 9. Decembr. 1763.)

Insuper cum non pauci ad S. Congreg. Indulg. et sacris Reliq. praepositam supplices libelli porrecti fuerint, praesertim e Gallia, ob confessariorum inopiam, pro obtainenda facultate sacramentalem confessionem peragendi per plures dies ante eucharist. communionem ad indulgentias adquirendas praescriptam; nec non ut explicetur, an ad eas lucrandas liceat, sacra synaxi refici in pervigilio festi diei, pro quo declarantur concessae; eadem S. Congreg., habita in palatio Quirinali sub 15. Apr. 1822, censuit licere ad praefatum effectum, eucharistiam sumere in pervigilio festivitatis; praeterea firmo remanente decreto 9. Dec. 1763 pro iis fidelibus, qui ad confessionem saltem semel in hebdomade accedunt, pro ceteris autem fidelibus, in locis, in quibus ob inopiam confessariorum nequeunt fideles frequenter confessione sacramentali expiari, postulantibus communicetur dictum decretum, et facto verbo cum Sanctissimo extendatur ad omnes utriusque sexus Christi fideles; unde confessio peracta infra hebdomadam ante festivitatem suffragari possit ad indulgentiam lucrandas, expletis aliis conditionibus injunctis, et dummodo nullius lethalis culpe post peractam confessionem commissae consci sint; nihil innovando circa indulgentias ad formam Jubilaei concessas. Quod votum S. Congreg. summus Pontifex Pius VII. die 11. Junii 1822 approbavit et publicari mandavit. (ex Secret. ejusd. Congreg. die 12. Junii 1822.)

659. Q. VIII. An is, qui opus praescriptum quidem perficit, sed non integre, lucretur indulgentias? R. Qui omittit partem notabilem, ita ut secundum aestimationem moralem non perficiatur opus quoad substantiam nequidem lucratur partem indulgentiae. Secus si omittatur pars minima,